



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 21. Lauretanæ Virg. auxilium in nauali de Turcis victoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

eidem illi Rieræ rem omnem, sicut à me est exposita, enarrauit.

*Multiplex Lauretanæ Virginis auxilium in
nauali de Turcis parata victoria.*

Cap. X X I.

Iisdem temporibus in vltimo ferme rerum discrimine, Lauretanæ Virginis vis, vel maxime enituit. Selimus Turcarum Imperator Cypro per vim potitus, cæteræ Venetorum ditioni, orbique Christiano imminebat. Pius ergo V. Pontifex communi periculo communibus viribus occurrendum ratus, Venetis & Hispaniarum Rege in armorum societatem assumptis, ingenti mole bellum apparare cœpit. M. Antonius Columna Dux illa tempestate inter Romanos genere famaue clarissimus, Pontificiæ classi præpositus est, & mature soluere in Turcam iussus. Ibi eius coniux Felix Vrsina pari nobilitate mulier, stimulantem metu orbitatis suæ, liberumque, statuit in tot maritimi belli casibus ad Lauretanam confugere Virginem. Propere igitur cum honestissimo comitatu Lauretū accurrit, haud dubia, per Deiparam facile propitiari posse cœleste numen sibi, viroque. Solemnibus expiata mysterijs in sacrosancta cella supplex pernoctauit, veniam opemque sibi viroque suo à Deo, Deique matre impensius exposcēs. Inde B. Virgine accensis studijs, votiuisque muneribus culta, in eius gratiam Hebræum adolescentulum inibi è sacro fonte suscipit, & aureo donatum torque in suam adsciscit familiam. Nec irrita supplicatio, aut gratia fuit. Haud longo tempore intermisso, cumulati voti compos exstitit. Coniugem suum ex tam atroci prælio non reducem solum, sed victorem etiam recepit: eundemque in vrbe Roma, veteri Romanorum more renouato, insigni pompa ouantem læta conspexit. Cæterum eodem bello haud certio-

Cc

illa

illa in priuata re, quam Pius Pont. in publica Lauretanæ Virginis expertus est opem. Christianam classem vltimæ dimicationi instructam, intentamque esse iusserat. Nec ignarus erat, summam rerum in eo prælio verti. Proinde Pontifex vere pius, priuatis publicisque supplicationibus Deum conciliare institit. Præcipue in augustissima cella Lauretana orari assidue Deiparam iussit, vt in vltimo rerum discrimine pia mater adesset Christianis. Nec Pij Pontificis, piorumque spes in irritum cecidit. Inita pugna nauali, non tam humanæ, quam diuinæ opis res visa. Obsecundante Christianis, qui ante pugnam aduersus erat vento, fumumque bombardarum, ac tela hostium in ipforum ora retorquente, nobilissima est de Barbaris parta victoria. Plerique hostium cæsi: naues partim depressæ, partim captæ: Ingens præda, magna vis captiuorum: supra X. Christianorum millia seruitio exempta. Quorum quidem pars longe maxima deinceps Lauretum persoluentorum votorum gratia venerunt. Satis constat ipso naualis prælij die, antequam signa canerent, Christiana mancipia remigio à Turcis addicta, pro libertate, plerisque autem Duces, ac milites Christianæ classis pro salute ac victoria B. Mariæ Lauretanæ vota fecisse. Vt dubium cuiquam esse non possit, quin tam insignis victoria post Deum, Deiparæ debeat. Ergo non remiges modo captiui Turcarum, sed etiam milites, Ducesque Christiani ad agendas Deo ac B. Mariæ gratias, vota que reddenda Lauretum contulere se. Et diuini beneficii monumenta inibi exstare vtrique voluerunt: alteri quippe catenas, quibus religati ad remos fuerant, apud liberatricem reliquerunt suam: alteri Deiparæ velut auctori victoriæ, manubias hostium consecrarunt. Hoc autem vltimum, atque haud scio an maximum Pij Quinti humanorum operum fuit.

*Anna. Laur.
Rier.*

A Gre-